



2b. 15



14.
26
RECTOR
ACADEMIÆ FRANCOFURTANÆ
Magnificus

CYRIACUS

HERDESIANUS,
J. U. D. & Professor Pandectarum
Publicus,

Ad
Justa Funeralia
Quæ
Honestissima matronæ

ANNÆ WEDELICHIÆ

Prudentiss. & Ornatiss. Viri

Dn. CHRISTOPHORI ROMBERGS

Reipub. Oppidanæ Civis quondam ac Senatoris

Relictæ Viduæ

Matri suæ dilectissimæ

Ad d. V. Id. Oct.

Liberi superstites

Honorificè persolvere cupiunt.

Omnes Reipub. Literariæ cives aman-
ter invitat.

ANNO CHRISTI

M. DC. XXII.

Literis


HARTMANNIANIS.

27

RECTOR
ACADEMIAE
HARTEMANNI
HARTMANNI
M. DC. XXII

LITTE
HARTMANNI





D Tolemæum Ægypti Regem II, virum cætera egregium & doctrinis omnibus excultum, hac opinione imbutū fuisse ferunt; ut sibi perpetuò vitam mansuam prædicaret, & à se uno immortalitatem inventam jactitaret: non minore audaciâ, atque Philosophus ille apud Galenum, beneficio *της ύγινης* mortem in æternum præcavere volebat. Justinianum quoque Imperatorem pestifero Triboniani, cujus operâ in reformando jure usus erat, afflatu ita infectū fuisse accepimus: ut se nunquam ex hac vitâ discessurum, sed vivum sentientemque in cælum translatum iri sibi persuaserit. Stulta profectò opinio, & inficeta persuasio: nec nisi eorum, qui vel ad adgnatos & gentiles deduci, vel Anticyras navigare jubentur. Quo enim pacto fieri potest, ut qui mortalis natus est, non sit mortalis? aut quomodo mortem, quæ peccati auctora mentum est, declinare homo potest, qui in peccatis quotidie vel jacet, vel sedet, vel stat, vel ambulat, vel currit? *Prò nefas* exclamat Augustus Ecclesiæ doctor Augustinus, *orbis terrarum ruit: in nobis peccata non ruunt.* Pauci enim Ludovici S. Gallorum, Regis similes: qui ab incunte ætate persuasum habuisse dicitur; satius esse mori, quàm peccare: aut Edmundi Cantuariensis in Angliâ Præsulis: quem ferunt frequentissimis solitum usurpare sermonibus, se in ardentissimum rogū insilire, quam unquam in Deum suum peccare malle. Quanquam τὸ *αὐταμάστητον* plus est, quam ut homo de se promittere possit:

possit: cum fieri nequeat, ut sine culpa in mundo sit, qui cum
culpa in mundum venit. Quocirca etiam nemo hominum
est, quin morti sit obnoxius: recteque Seneca, Omnes,
inquit, huic rei tollimur: & quisquis ad vitam editur, ad mor-
tem destinatur. Et quanquam alii brevioris ævi sunt; atque
que ut exirent, intrasse in hanc vitam videntur: alii
diutius in his terris vivunt dicam? an sunt: sicut L. Pi-
fo dicere solebat, neminem se videre in Senatu, quem
Consul ipse sententiam rogasset: tamen ut nulla, si
ad naturam rerum respexeris, etiam Nestoris & Sta-
tiliæ, quorum ille tria secula vixit; hæc inscribi mo-
numento suo iussit, annos se nonaginta novem vixisse,
non brevis est vita: ita nulla tam longa, quin finem
aliquem habeat, & morte terminetur. Neque id malo
est hominibus: sed bono potius: quod Plotinus etiam
intellexit: qui cum de humanis animis ageret, pater,
inquit, misericors mortalia illis vincula faciebat: hoc ipsum
nempe, quod mortales sunt homines, ad misericor-
diam Dei patris pertinere arbitratus, ne semper hu-
jus vitæ miseriam teneantur. Ac profectò grave suppli-
cium foret, si eâ lege hæc in oras venissemus: ut in
eisdem perpetuò maneremus. Quid enim hic est,
quod quenquam ad diutius vivendum invi-
tare possit? an labores assidui? an diurnæ noctur-
næque sollicitudines? an crebræ fortunæ vices? an
multæ morborum myriades? an mille casus & in-
commoda? Certè si pondus diei & æstus ferre, est per
longioris vitæ tempora carnis calore fatigari: one-
ri planè succumberent, & æstu absorberentur, quibus
perpetuùm hic vivendum esset. Itaque non abs-
re scripsit Ecclesiastes: *meliozem esse diem emortualem*
quam

quam natalem: illum enim quietis & beatitudinis; hunc
miseriarum dolorumque esse initium. Huic rei
calculum quoque jam suum matrona ornatiss., cui
hodierno die exsequiæ fiunt, ANNA WEDLI-
CHIA, adjicit: quæ in ætate quidem grandiore, ta-
men mortua est: ultimumque diem non quasi pœ-
nam, sed legem naturæ adspexit. Cæperat quippe i-
psam vivendi satietas: & mori jam in lucro deputa-
bat; nec irascebatur DEO, cum repeteret ab ipsâ quod
suum erat, quodque ipsi donarat usurpandum. Ita e-
nim à tenerâ mox ætate sese paraverat; ita jam du-
dam animata erat; ut cum veniret Dominus, ostio-
lumque ejus pulsaret, ipsa sine morâ & murmure a-
periret. Edita fuit in hanc vitam anno post Chri-
stum natum M.D.XLV, quo Waldenses in Galliâ ferro
& flammis immani crudelitate fuerant excisi, a. d.
VIII. Kal. Sept. hac in urbe. Pater illi *Martinus Wed-
lichius*, qui *Fridbergæ*, quod *Neo-Marchiæ* oppidum
est, natus, domicilium suum huc transtulerat, civis &
negotiator inter primos. Mater *Margareta Krumbau-
ers*, Dn. *Philippi Krumhauers*, Consulis quondam
in *Schönfließ*/quod ejusdem *Marchiæ* oppidum, *Fie-
lia*. His conjugibus ea divinitus obtigit felicitas; ut
ex XV liberis, quos in legitimo thoro susceperant,
octo, nempe quatuor filios, totidemque filias cum ux-
oribus virisque esse viderint. Ex filiis *Johannes* &
Andreas *Brixia* in *Bohemiâ*: *Philippus* & *Georgius* hic a-
pud nos sedem omnium rerum ac fortunarum sua-
rum collocarunt. E filiabus *Walpurgis*, *Valentino Wers-
muth*/Scabino hujus urbis; *Gertrudis*, Dn. *Benedicto Stym-
melio*

melio Consuli meritis. ; *Barbara*, *Un. Christophoro Stymme-*
lio S.S. Theologiae Doctori & Ecclesiae Sedinensis Pa-
stori; *ANNA* verò natu minima, de qua jam loquimur,
Dn. Andrea Kulisch, amoeniss. ingenii viro, & jocos non
sae nigro Momi, sed candido Mercurii conspersos
spargere docto, civi & judicii adfessori integerrimo,
anno Christi M. D. LXIV, VIII. Id. August. nupsit. Hæc
in unius & viginti annorum secundo & fecundo con-
jugio, XI peperit liberos; quinque masculos: sex foe-
mellas: quos superstites quidem sibi esse omnes opta-
vit; sed non nisi duas post sese reliquit filias. Earum
natu major *Ursula*, post *Johannis Gregers* / primi mariti
obitum, *Dn. Georgio Neichen* / viro ornatiss., & Ampliss.
Senatui oppidano à libellis & rationibus; altera *Hed-*
vigis, *Dn. Samueli Kraudten* / Cōsuli Suetensi spectatiss.
à matre post mortem patris nuptum collocata fuit.
Hic n. anno Christi M. D. LXXXV, qui huic urbi gravis
& pestilens extitit, diem suum obierat; & uxorem in
triste viduvium conjecerat; cujus post biennium per-
tæsa ad secunda vota transiit; & *Dn. Christophori Rom-*
berg / jam grandiusculi, cui tum temporis, salis Lunc-
burgensis, quod in has terras invehit solet, procuratio
à Sereniss. Electore Brandenburgico fuerat commissa,
postea etiam Senatoria dignitas delata, 16. kal. Febr. in
manum convenit. Hujus conjugali & amabili consue-
tudine, ipsos septem & viginti annos usa est; eaq; ante
octennium privata maritum optatissimum diu luxit,
patremq; fam. diligentissimum desideravit: donec
tandem intelligens se Hylam clamare, luctui nunciū
remisit; & viduitatis onus, ut potuit, ad extremum,
usque

usque vitæ halitum tulit. Laudem semper habuit hæc
matrona matris fam. sedulæ & frugi: sed ita, ut non ma-
gis properaret ad forū, quam ad Ecclesiæ chorum. In
verbi divini auditu, ex quo fides nascitur, diligens; in
usu sacræ cœnæ, quo fides alitur, frequens; in sanctis
actionibus, quibus fides demonstratur, assidua erat.
Officiosam quoque meminerunt eam fuisse, qui eam
nōrunt: nō tam quod salutatum alios iret (quod qui
olim faciebant, officiosi dicebantur) quàm quod vi-
cinos consilio juvaret: egenis atque afflictis pro mo-
do facultatum opem ferret: stipem petentib. panem,
sine pugni pro obsonio impactione, contra quam
vetus habet Græcorum verbum, porrigeret. Religio-
ne ducta, (si non superstitio appellanda est) ædiculam
in antecurbio Lebusiensi, in quâ ex reliquiis Papatus,
Crucifixi extat simulacrum, male materiata & rui-
nosam suo sumtu instauravit: & clavam, quæ intra am-
bitum portarum, per quas in idem suburbium itur,
de pariete suspensa est, cui hæc Teutonico idiomate
verba inscripta:

Qui bona dat natis, & grandior esurit annis:

Is clavâ occidi hac cur mereatur, habet:

vetustate collapsam, jamque arsuram interpolavit.
Longum esset cæteras ejus enumerare virtutes & stu-
dia, quibus à primâ vitæ autorâ ad ultimum usque oc-
casum bene longo tempore dedita fuit. Supergressa
enim est undecimum ætatis hebdomadicum: annum
inquam septimum & septuagesimum: longius fortè
ævum productura, nisi ante sex circiter septimanas
ex læsione pedis in acerrimum & gravissimū incidisset

set

set dolorem. Cui cum per senilem ætatem & virium
imbecillitatem ferundo non esset: tamen si patienter
ferebat: tandē die ab hinc octavo, qui erat 4. Non. O-
ctob. laboribus & doloribus omnibus, quod piis pre-
cibus & suspiriis jam diu optabat, exsoluta ex hac mi-
seriarum valle in coelestem, ut pie credimus, transit
paradisum: ubi quæ desideravit, tenet: quæ optavit,
possidet: quæ credidit, videt. Funus ei more mayo-
rum, Christiano ritu, superstites filia & Generi præ-
stantis, hodiē post h. 12. ducere constituerunt: quod
ut spectabili frequentia & honorificā præsentia pro-
sequi velitis, reverenter & amanter oratum vos vo-
lant: idque humanitate vestrâ freti se à vobis impes-
tratuos confidunt. Bene valete, & exsequias matro-
næ, ætate ac pietate venerandæ, & beneficentiæ erga
nostri etiā ordinis homines laude cōspiciæ, frequen-
tes ite; & cum mortales sitis, pietati, virtuti, & gloriæ
serviando vos à mortalitate vindicatis.

M. C. N.

Ja 666



ULB Halle 3
002 177 021



A white rectangular library label with a barcode and identification numbers.


5b-700

Von 7

MC







B.I.G.

Farbkarte #13

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

DR
COFURTANÆ
us

CUS

NUS,
r Pandectarum

lia
rona

ELICHIÆ

atifs. Viri

ROMBERGS

adam ac Senatoris

ime
et.
stites
re cupiunt.

riæ cives aman-

STI

XII.

S
NIANIS.

19.

26

